

commisso^g vobis regimine favente Domino fructus uberes allaturum, preceptoriam seu baiuliam de Löch prioratus nostri Boemie^h per obitum fratris Iohannis Rindersching vacantem et ad nostram dispositionem propterea devolutam cum omnibus et singulis suis membris, iuribus et pertinentiis universis ad eam spectantibus et pertinentibus ac spectare et pertinere debentibus, quoquomodo et cum quibus illam tenuit, habuit et possedit dictus condam frater Iohannes, habendam, tenendam, regendam, gubernandam, augmentandam et meliorandam in spiritualibus et inⁱ temporalibus, tam in capite quam in membris sub annua responcione et aliis oneribus impositis et imponendis rationabiliter secundum communem cursum aliarum baiuliarum prioratus predicti in capitulo provinciali prioratus ipsius per vos annis singulis infallibiliter exsolvendis – alias secundum continentiam et seriem statuti super defficientibus in responcionum solutione suarum editi in generali capitulo apud Auinionem mense Martii anno sexagesimo sexto celebrato⁶⁷ de premissa baiulia per religiosos in Christo nobis carissimos fratres .. domus eiusdem quovis titulo regimini prioratus ipsius nunc et imposterum presidentem et receptores responcionum prioratus ipsius cum consilio quatuor fratrum preceptorum prioratus iamdicti suarum baiuliarum responciones bene solvencium fratri alicui nostre dicte domus prioratus predicti puta sufficienti, utili et ydoneo ad regimen baiulie antedicte, et qui illius responciones et alia onera bene solvat et supportet, expresse precipimus provideri gracia huiusmodi de dicta baiulia vobis facta in aliquo non obstante – ad requisitionem dicte domus fratrum .. locumnostrumtenentis in ultramarinis, baillivorum et procerum nostri Rodi conventus de nostra certa sciencia et speciali gracia voluntate, consilio et assensu eiusdem domus fratrum .. procuratorum ipsius conventus, preceptorum et procerum nobis assistencium vobis auctoritate presentium hinc ad annos decem continuos et completos conferimus et donamus benefaciendo in eadem, vosque preceptorem et comendatorem in dicta constituimus baiulia hac serie et etiam ordinamus, comittentes vobis fiducialiter circa curam, regimen et administrationem accomodam dicte baiulie ac bonorum et iurium eius deffensionem et recuperationem tam in agendo quam deffendendo hac serie vices nostras. Quocirca universis et singulis fratribus, sororibus

g) commissa AOM

h) Alamanie irrig AOM

i) fehlt AOM

67) Calculus Florentinus, also im März 1367: Joseph DELAVILLE LE ROULX, Les Hospitaliers à Rhodes jusqu'à la mort de Philibert de Naillac 1310–1421 (1913) S. 161f.